

Rome, 8 Septembre 1600.

*Bened Wójcicki*

/ Perillustris, et Reverendissime Domine. Revertenti in Lithua-  
 niam Nuncio Amplitudinis suae, quem nescio, an per errorem Secre-  
 tarius meus Benedictum Voinam vocari mihi dixit, litteras dedi per-  
 breves, ut officium dumtaxat salutationis implerem. Addo nunc al-  
 5 teras, ut currentem provocem ad incitatus currendum. Cognovi si-  
 quidem ex litteris Nuncii Apostolici apud Serenissimum Regem Polo-  
 niae residentem Amplitudinem tuam, praeter alias boni propositi  
 cogitationes cordi pietatis tuae a Domino inspiratas, cogitare de  
 collegio Vilnae erigendo, pro natione Ruthena in fide catholica  
 10 retinenda. Pro tam bono primordio pastoralis sollicitudinis ago Deo  
 nostro gratias immortales; et quemadmodum gaudeo, ut debeo, tam  
 bonum propositum, ita hortor Amplitudinem tuam, ut illud re ipsa  
 celeriter, alacriterque perficiat. Accepi quoque ab Abbate Comu-  
 leo, qui ante multos annos ex Moscovia rediens Vilnensem episcopa-  
 15 tum obiter visitavit, quod illi ab Apostolica Sede fuerat iniunc-  
 tum, utilissima decreta fuisse confecta, atque in istam Ecclesiam  
 deposita. Intelligit profecto prudentia tua, etiam me tacente,  
 quantum sit necessarium ad bonum Ecclesiae regimen, ut decreta uti-  
 lia executioni mandentur. Haec mihi hoc tempore scribenda esse du-  
 20 xi, non quod de vigilantia pastorali tua ulla ex parte diffidam;  
 sed ut, quod Amplitudo tua per se libenter facit, me laudante et  
 cohortante, libentius faciat. Multa hic de tuis virtutibus magni-  
 fice praedicantur: maiora etiam ab omnibus in posterum sperantur.  
 Vale, Praesul optime, meque tibi addictissimum precibus apud Deum  
 25 iuva. Romae die 8 Septembris 1600.

Fuligatti, Epist.famil. V. - Citée presque en entier dans Positio,

t.II,p.163.